

sum habet. Et quidem ejusmodi sigillum est ultimum consummativum litterarum apostolicarum, adeo ut ante illius appensionem eadem necdum expeditæ censeantur, c. *Licet*. 5. de *Crimin. fals.* et se filum, sive memorata chordula in totum fuerit rupta, amplius Bulla non probet. Glossa magna in can. *Nobilissimus*, dist. 97. et Rubuffus, loc. cit. post card. Alex. can. *In memoriam*, dist. 19.

20. *Differunt tamen in pluribus aliis, et quibus?* — Deinde Brevia apostolica inscribuntur in membranarum subtilibus, et albis: pro Bullis autem sunt in usu membranæ subnigræ, et grossæ. Rursus Brevia scribuntur caractere latino bene legibili, ac elegantiori: in Bullis vero retinetur antiquus stylus characteris Gallici, receptus et practitatus ab eo tempore, quo Sedes apostolica residentiam habuit Avenione in Galliis, cardin. de Luca d. discurs. 7, n. 9. Pluribus etiam Brevibus apostolicis, præsertim Indulgentiarum, et absolutionum atque dispensationum pro foro conscientie, exterius solet inscribi: *Gratis pro Deo et scriptura*; ad indicandum, talia omnino gratis expediri. Tacentur alia discrimina.

21. *Brevia Pœnitentiariæ, quæ?* — Solummodo his addendum est, quod in Romana Curia nomen *Brevium* etiam locum habeat in illis Expeditionibus, sive litteris, quas tribunal sacræ Pœnitentiariæ concedit ut plurimum pro foro interno, et quandoque etiam pro externo, circa absolutiones a censuris, et dispensationes in quibusdam irregularitatibus, ac hujusmodi. Verum istæ expeditiones notoriam habent diversitatem a Brevibus apostolicis; idque tum ob diversam formam, tum ob diversum omnino sigillum. Unde non immerito illa dicuntur *Brevia apostolica*, ad differentiam talium expeditionum, sive *Brevium Pœnitentiariæ*. Card. de Luca, nu. 10; Rubuffus, loc. cit. § *Breve apostolicum*.

§ II.

DE LEGE, EJUSQUE CONDITIONIBUS AC DIFFERENTIA A SIMPLICI PRÆCEPTO.

22. *Lex, unde sic dicatur?* — Quæritur I. Quid sit lex, et quæ ejus utilitas? Resp. Quod ad nominis etymon attinet, *Lex* dicitur a *legendo*, eo quod leges olim solebant in publicis tabulis scribi, et populo legendæ proponi; ut sentit Isidorus, lib. I. *Etymolog.*, cap. x; vel potius a *ligando*, eo quod homines

legimus legentur, seu obligentur ad aliquid præstandum, vel omittendum, ut vult Doctor subtilis, in 4, dist. 15, q. 2, § *Hic sunt quatuor*. Et hoc merito: quia ad legem positivam condendam requiritur in legislatore tum prudentia, tum auctoritas. Prudentia quidem ut secundum rectam rationem practicam judicet, quid spectatis omnibus circumstantiis sit faciendum pro bono communitatis: auctoritas vero, quia alioquin sententia prudentis non obligabit communitatem; nisi is præsideat, et auctoritatem ligandi subditos habeat, § *Sed aliud*, dist. 20. Et sic *Lex a ligando* rectius derivatur.

23. *Lex generatim accepta quid?* — Resp. II. Lex generatim accepta, et prout est quid commune ad constitutiones humanas tam ecclesiasticas, quam civiles, recte definitur, dicendo: « Lex est recta agendorum ratio, a publica potestate communitati denuntiata, cum voluntate eam perpetuo obligandi ad aliquid agendum, vel omittendum. » Ita in re communis; quamvis nonnulli aliis verbis legem definiendo utantur, imo et in ipso jure reperiantur quædam diversæ definitiones legis, accipiendo tamen hanc in alia magis speciali, et strictiori significatione, ut dictum fuit in Proœmio, § 9, num. 173 et 174. Verum accipiendo legem generatim, atque ut est quid commune ad omnes prorsus constitutiones humanas, patebit bonitas allatæ nostræ definitionis quoad singulas suas particularas ex conditionibus legis, n. 27 et seqq. declarandis.

24. *Legum utilitas commendatur.* — Resp. III. Legum utilitas apte commendatur illis verbis, ex sancto Augustino, cap. IV, h. t. relatis: « Bona est ergo lex quæ, dum hoc (videlicet vitium concupiscentiæ, ut explicat Glossa) prohibet, omnia mala prohibet. » Nam vitium istud est generale ad omnia vitia, juxta illud sancti Jacobi in sua *Canonica*, cap. VI, 1. *Unde bella, et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Et I Joan., cap. II, 16. *Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vite: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.*

25. *Cur lex sit prodita?* — Quia igitur lex proditur, sive promulgatur ad hoc; ut appetitus noxius sub juris regula limitetur, pravæque concupiscentia, sive (ut loquitur pontifex in proœmio Decretalium) « effrænata cupiditas, sui prodiga, pacis æmula, mater litium, materia jurgiorum reprimatur: » patet quanta

existat bonitas ejusdem. Et quia novis moribus nova convenit antidota præparari, c. *Cæterum de Jurament. calumn.* non mirandum, quod in utroque jure, quin etiam extra illud, plures successive emanaverint constitutiones, sive leges: « Cogunt enim multas invenire medicinas, multorum experimenta morborum, » ut loquitur sanctus Augustinus, Epist. 50. ad *Bonifacium*, ac refertur in can. *Ut constitueretur*, dist. 50.

26. *Tria juris præcepta, quæ?* — Accedit, quod per legem, veluti juris regulam, genus humanum informetur, ut honeste vivat, alterum non lædat, jus suum unicuique tribuat; prout notatur in dicto proœmio Decretalium. Hæc enim tria censentur esse generalia juris præcepta, § *Juris Instit. de Justit. et jur.* ibi: « Juris præcepta sunt hæc: honeste vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere. »

27. *Cur hæc dicantur juris præcepta?* — Et hæc quidem tria dicuntur juris præcepta: non quod omne jus singillatim aliquid directe præcipiat; cum quandoque aliquid directe solum prohibeat, quandoque permittat, vel etiam puniat. can. *Omnis autem lex*, dist. 3 et 1. *Legis virtus*. ff. de *Legib.* ibi: « Legis virtus hæc est: imperare, vetare, permittere, punire. » Sed quia omne jus saltem indirecte aliquid præcipit, spectans ad unum prædictorum trium juris præceptorum (nam dum jura quidpiam directe v. g. permittunt faciendum, hoc ipso indirecte præcipiunt, ne quis illud facientes impediatur, vel molestat, etc.) simulque, quia omnia, et singula jura reductive spectant ad illa generalia præcepta, vi quorum tenemur honeste vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere.

28. *Conditiones legis, quæ?* — Quæritur II. Quæ requirantur conditiones ad legem, seu constitutionem? Resp. Eisdem ab Isidoro, relato can. 2, dist. 4, complecti sequentibus verbis: « Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundum patriæ consuetudinem, loco, temporisque conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne per obscuritatem in captionem contineatur, nullo privato modo, sed pro communi civium utilitate conscripta. » Hæc ille. Brevius tamen omnes necessariæ legis conditiones continentur in ejus definitione, num. 2. allata, dum dicitur: « Lex est recta agendorum ratio, a publica potestate communitati denuntiata, cum voluntate eam perpetuo obligandi, » etc. Nam, quod scriptura non sit de substantia legis,

patet ex dictis in proœmio, numer. 159.

29. I. *Debet esse recta agendorum ratio.* — Igitur ad legem requiritur, ut sit « recta agendorum ratio; » sive, ut ait citatus Isidorus, « quod sit honesta, justa, possibilis, etc. Siquidem lex injusta, vel quid iniquum præcipiens, non est absolute dicenda *Lex*, sed solum cum addito, *Lex injusta*, et si constet eam esse talem, non tenentur eidem subditi obedire. Ratio clara est: tum quia « nemo potest ad impossibile obligari, » juxta reg. 6 *Juris*, in 6. Quidquid autem contra rationem bonosque mores militat, censetur de jure impossibile, 1. *Filius qui*, ff. de *Conditionib. institut.*, et 1. *Si stipuler*, ff. de *Verb. obligat.*; tum quia « non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. » Reg. 56 *Juris*, in 6. Ergo multo minus lex, utpote quæ debet delicta coercere, non præcipere, L. 1. ff. de *Legib.* Et si secus fieret, oporteret Deum potius audire, quam homines, *Actor*. cap. v, 29. Unde de ejusmodi lege injusta hic non agitur, sed tantum de justa.

30. II. *Ad eam requiritur legitima auctoritas in ferente.* — Ad rationem legis requiritur legitima auctoritas legem ferendi in legislatore: quæ conditio indicatur in data definitione per ly, a *publica potestate*. Nam alioquin locum haberet illud vulgatum: « Extra territorium jus dicenti impune non paretur, » cap. ult. de *Constit.*, in 6. cum similibus.

31. III. *Ac debita promulgatio.* — Requiritur ad rationem legis debita ejusdem promulgatio; quæ conditio in dicta definitione denotatur per ly, *communitati denuntiata*, id est promulgata. Nam, ut habeat receptum juris consultorum dictum, ex can. 3, dist. 4. desumptum: « Leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium comprobantur. » Verum de hac legum promulgatione ex professo inferius.

32. IV. *Et ut feratur cum voluntate perpetuo obligandi.* — Requiritur, ut lex feratur « cum voluntate obligandi: » id est, quod legislator velit communitati quidpiam præcipere, eamque ad observantiam legis obligare. Si enim aliquid dumtaxat consulat, aut a subditis fieri libenter se videre declaret, non autem clare jubeat, et præcipiat, lex non erit, sed consilium, aut beneplacitum principis.

33. *Lex debet esse perpetua.* — Et additur ly, *perpetuo obligandi*. Nam lex debet esse perpetua; adeo, ut quantum est de se, ac nisi postmodum legitime revocetur, obliget in perpetuum, arg. cap. ultim. de *Offic. legati*,

et cap. i de Legato, cum similibus. Ea enim, quæ ad jus pertinent, perennia esse debent, *E. Falso. C. de Diversis rescript.* Ac per hoc vel maxime lex differt a simplici mandato, præcepto, regulis Cancellariæ, ac aliis hujusmodi. Et hinc frequens illud legibus insertum: «Hac in perpetuum valitura lege sancimus:» quod non solum in constitutionibus apostolicis de novo conditis per quam est usitatum, sed etiam habetur; *L. ult. C. de Diversis prædiciis*, lib. XI, et *L. II. C. de Præposit. sacri cubiculi*, lib. XII, ac alibi.

34. *Et quomodo?* — Cæterum ista perpetuitas legis, suæque obligationis, non accipitur pro æternitate non habente principium, nec finem (alioquin nulla daretur lex positiva) sed accipitur pro duratione indefinita, quatenus lex proprie dicta debet ferri non pro uno dumtaxat die, vel anno, aut solummodo ad vitam legislatoris, sed in perpetuum. Intellige, quantum est ex primæva intentione legislatoris; quamvis postmodum, iustis de causis, lex semel posita per legislatorem, aut ejus successorem revocari, vel etiam per contrariam consuetudinem legitime præscriptam abrogari valeat.

35. *Conditiones legis per Isidorum relatæ, declarantur.* — Porro quod attinet ad conditiones legis, per Isidorum supra recensitas, eæ potissimum pertinent ad primam allegatarum conditionum, declarando per partes, qua ratione lex debeat esse *recta agendorum ratio*; et ad quæ, etiam collective sumpta, vel maxime in legibus de novo condendis sit attendendum. Quamvis non in qualibet lege particulari oporteat eas omnes conditiones simul convenire; ut patet in legibus, depravatam quandoque patriæ consuetudinem eliminantibus, quæ hoc ipso non feruntur secundum patriæ consuetudinem, sed contra istam. Archidiaconus ad d. can. *Erit autem lex*: n. 1. dist. 4.

36. *Lex debet esse honesta, justa.* — Igitur, ut lex sit *recta agendorum ratio*, ea cumprimis debet esse *honesta, justa*: quia ideo lex conditur, ut genus humanum informetur honeste vivere, alterum non ledere, jus suum cuique tribuere. Proœmium Decretalium Gregorii papæ IX. Et additur, *possibilis*: nam «impossibile nulla est obligatio,» *l. Impossibile. ff. de Reg. jur.* et *reg. 6. juris*, in 6. cum similibus.

37. *Secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem.* — Secundum naturam, id est, naturalem rationem: nam lex constat ratione,

can. *Consuetudo*. dist. 4. ac deficiente lege, vel canone, potest allegari ratio. Glossa ibid. *ÿ. Ratione*. id probans ex can. *Si Romanorum*, dist. 19. et can. *Frustra*, dist. 8. Et subditur: «Secundum patriæ consuetudinem:» non quod hæc conditio sit simpliciter necessaria ad constitutionem legis, cum patriæ consuetudo, præsertim prava, possit corrigi, et tolli per legem: sed quia rationabiles patriæ consuetudines non facile per contrariam legem sunt abrogandæ, tum quia ejusmodi «invenienterata consuetudo pro lege non immerito custoditur,» *l. de Quibus. ff. de Legib.* Atque «in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est.» *L. 3. ff. de Constit. principum*; tum quia lex jam condita per contrariam consuetudinem, rationabilem tamen, ac legitime præscriptam, denno potest abrogari, cap. ult. *de Consuetud.* cum concordantiis: simulque in dubio lex secundum patriæ consuetudinem est intelligenda, et interpretanda, *l. Si de interpretatione. ff. de Legib.* Nam consuetudo est optima legum interpretatio, *c. Cum dilectus. 8. de Consuetud.*

38. *Loco, temporisque conveniens.* — «Loco, temporisque conveniens.» Non enim eadem leges eulibet loco, et tempore conveniunt, sed sunt moderandæ juxta diversitates locorum, et qualitates temporum, atque hominum, quibus ponuntur, can. *Regule*, et can. *Necesse est*, dist. 29, cum similibus. Hinc illud vulgatum: «Concorda tempora, et concordabis jura,» sive scripturas, juxta Glossam can. *Si Ecclesia*, 23. q. 4. *ÿ. Temporibus*, et probat textus in can. *Si peccaverit*, 2, q. 1.

39. *Necessaria, et utilis.* — «Necessaria.» Quia non nisi instante necessitate jus novum statui debet, can. *Regule*, dist. 29. et *l. Ergo omne*, 39. ff. *de Legib.* videlicet propter ea, quæ frequenter et facile eveniunt: nam «quæ semel aut bis accidunt, contemnunt legislatores,» ut dicitur *l. Nam ad ea, ff. de Legib.* Additur *Et utilis*, juxta jam allegatum textum ex *L. 3. ff. de Constit. princip.* Quinimo, lex inutilis non solum non est de novo ponenda, sed si existeret, rursus foret abjicienda, can. *Omnia*, dist. 12. Ut quid enim membranas occupabit, postquam reperitur esse inutilis, can. *Si Romanorum*, dist. 19.

40. *Nec superflue ponitur alterutra harum dictionum.* — Si dicitur: Nulla lex humana positiva est necessaria simpliciter (id est, sic necessaria, ut impossibile sit eam aliter se habere: cum tale necessarium non subiaceat

humano iudicio) sed solum secundum quid, nempe propter finem, quatenus est utilis: ergo alterutra harum duarum particularium superflue ponitur. Resp. (dimissa opinione illorum, qui putant superflue ab Isidoro relato multiplicari conditiones legis ut hic, et ibi: «Lex honesta, justa») negando assumptum: nam necessitas legis consideratur quantum ad remotionem malorum: utilitas vero, quantum ad consecutionem bonorum. Archidiaconus in d. can. *Erit autem lex*, num. 7, dist. 4. Sicut et supra honestas legis spectatur quantum ad se, nempe ut religioni congruat: justitia vero legis, quantum ad proximum, cui prohibet læsionem inferre, ac jubet jus suum tribuere: et sic nulla particula superfluit, sed singule jvant ad majorem conditionum legis expressionem, atque declarationem.

41. *Manifesta quoque.* — «Manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captivum contineat.» Quod additur ad cavendum nocumentum, quod alioquin ex ipsa lege posset provenire, si captiose ac perperam propter suam obscuritatem posset interpretari contra c. *Certum est. de Reg. Jur.*, in 6. Hoc ipsum patet ex c. *Abbate. de Verb. signif.*, ibi: «Lex non debet esse obscura, vel captiosa, sed certa et manifesta.»

42. *Nulla privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.* — «Nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.» Quia lex primario ac principaliter ordinatur ad bonum commune reipublicæ, ut liquet ex ejus definitione; quamvis inde secundo, et consecutive, habeatur etiam privatam commodum civium. Hinc *L. 1. ff. de Legib.* dicitur: «Lex est commune præceptum communis reipublicæ sponsio.» Item *L. 7. ff. eod.* «Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.» Et alioquin, si constitutio privatam ejuspiam commodum respiciat, censetur esse privilegium, quod est lex privata, can. *Privilegia*, dist. 3. et cit. c. *Abbate. de Verb. signif.* de quo verificatur illud: «Privilegium personale personam sequitur, et extinguatur cum persona.» cap. VII. *de Reg. jur.*, in 6.

43. *Lex differt a simplici præcepto in pluribus. Lex immediate afficit locum, sive territorium legislatoris: præceptum vero personas.* — Queritur III. Quomodo lex differat a simplici præcepto? Resp. differre in pluribus. Nam imprimis lex censetur immediate afficere locum, seu territorium legislatoris, atque hinc

in subditos ibidem existentes transire. Suarez, tom. V. *de Censuris*, disp. 5, sect. 5, num. 14; Layman, lib. I, tract. IV, cap. XI, num. 2. et alii: ac desumitur ex *l. Omnes populi. ff. de Just. et jur.* ubi jus civile, seu municipale civitatis sic vocatur, «quasi proprium ipsius civitatis,» eo videlicet, quod hanc immediate afficiat, indeque transeat in existentes in ea: prout in simili doctores loquuntur de interdicto locali, ac de indulgentia locali. Et idcirco fit, quod leges territorii non obligent cives absentes, ut cap. ult. *de Constitut.*, in 6. et tradunt doctores communiter. Econtra præceptum simplex proxime, ac immediate fertur in personas singulares, earumque ossibus adhæret, quocumque terrarum discesserint: unde præcepta superiorum, v. g. prælatorum regularium, obligant subditos, ubicumque existant; cum eis competat jurisdictio in subditos, non ratione loci, sed per se, ac ratione personæ, propter votum obedientiæ.

44. *Præceptum simplex tendit ad personas singulares, et cum ipsis extinguitur: non item lex.* — Deinde præceptum simplex (hoc est, tale, quod non fertur per modum constitutionis generalis) tendit ad personas singulares, cum quibus plerumque extinguitur, nec transit ad successores: quale est, si pater quidpiam præcipiat filio, abbas religioso, princeps huic vel illi subdito. Secus, si princeps ad dies vitæ suæ quidpiam generaliter præciperet omnibus: nam tale præceptum vivente principe transiret ad successores subditorum suorum; et propterea notantur additum fuit *ly, plerumque*. At vero lex imponitur toti communitati, et loquitur non tantum ad præsentem, sed etiam ad futuros: nam «Lex est commune præceptum.» *L. 1. ff. de Legib.* Simulque «Leges et constitutiones futuris certum est dare formam negotiis,» *l. Leges. 7. C. de Legib.* et cap. ult. h. t. cum similibus.

45. *Lex durat post mortem legislatoris: non sic præceptum simplex.* — Tandem lex durat non solum in vita, sed etiam post mortem legislatoris, semperque vim suam habet, donec revocetur, aut per contrariam consuetudinem legitime abrogetur; siquidem leges ex natura sua sunt perpetuæ, cum ferantur propter commune bonum reipublicæ, ac futuris dent formam negotiis, ut proxime dictum. Econtra præceptum simplex expirat morte præcipientis, et absque nova revocatione cessat cessante vita, aut officio ipsius; eo quod in morte, vel depositione ab officio,

extinguatur jurisdictio, et auctoritas præcipientis, a qua vim suam præcepta obtinent. Menochius lib. I. *de Arbitrar. judic.*, quæst. 69, num. 4, citans Decium in Rubr. C. *de Mandat. princip.*, n. 11; Layman, c. *Gratum*, n. 6. *de Offic. delegat.*; Sanchez, lib. VIII. *de Matrim.*, disp. 28, n. 47. Qui recte hoc ultimum extendit etiam ad illum casum, quo res non amplius est integra.

46. *Mandatum jurisdictionis, et mandatum ab homine, quid, et an expirent morte mandantis?* — Nec obstat c. *Relatum*. 19. et c. *Gratum* 20. *de Offic. delegat.*, ubi mandatum non expirat morte mandantis, si res non amplius fuerit integra. Resp. enim hic sermonem esse de mandato jurisdictionis; hoc est, de tali mandato, per quod a superiore committitur jurisdictio inferiori, velut judici delegato, ut probat rubrica citati tituli: et tale mandatum re amplius non integra, juxta omnes, non expirat morte mandantis. Secus dicendum de mandato ab homine, seu simplici præcepto superioris, obligante ad aliquid faciendum, vel omittendum: tale enim non solum expirat morte concedentis re integra (in quo casu expirat pariter mandatum jurisdictionis, c. *Licet* 30. *de Offic. delegat.*) sed expirat etiam re amplius non integra; cum talia mandata ab homine, seu præcepta, quæ non emanant per modum constitutionis, non sint perpetua ex sua natura, sicque extincta præcipientis jurisdictione per ejus obitum, amplius ligare non possint, etiam re non integra. Sanchez loc. cit., n. 47.

§ III.

DE POTESTATE LEGISLATIVA, ET QUOMODO HÆC
COMPETAT PAPÆ, ATQUE CONCILII.

47. *Hic non est sermo de potestate legislativa divina.* — Quæritur I. Quotuplex sit potestas legislativa humana? et additur notanter, *humana*: non enim hic loquitur de illa suprema et absoluta potestate legislativa, quæ competit Deo ter Opt. Max. ob supremum ejusdem in omnes creaturas dominium, et secundum quam pro quolibet statu convenientia humano generi dedit præcepta, prout liquet ex sacris Litteris. Quanquam lex vetus, sive Mosaica, ejusque obligatio jam cessaverit introducta lege evangelica, prout fides docet, et patet ex *Actor*. cap. xv, 3. et tota *Epistola* sancti Pauli *ad Galatas*, atque ex c. *Majores, de Baptismo*, ubi pontifex inquit: « Absit, ut

in illam damnatam hæresim incidamus, quæ perperam affirmabat legem cum Evangelio, et circumcisionem cum baptismo observandam. »

48. *In lege evangelica nullum continetur præceptum, quod non sit juris naturalis, præter præcepta fidei, et sacramentorum.* — Ex quo proinde inferunt doctores, quod, cum per Christi mortem, et prædicationem Evangelii, evacuata fuerit obligatio legis veteris quoad præcepta cæremonialia, atque judicialia, prout uberius docent theologi; in lege evangelica nullum extet præceptum juris divini positivi, præter præcepta fidei, et sacramentorum: nam præcepta moralia, quæ etiamnum obligant, sunt juris naturalis. Sanctus Thomas 1. 2, q. 108, art. 1 et 2; Scotus 3, dist. 40, q. un.; Covarruvias, *de Matrim.* part. II, cap. vi. § 10. n. 1; Sanchez, lib. VII *de Matrim.* disp. 52. n. 1; Fagnanus in c. *Vir qui*. n. 31, *de Consanguinit. et affinit.*; Valentia, et alii. His prænotatis

49. *Potestas legislativa humana, alia ecclesiastica, alia civilis.* — Resp. I. « Potestas legislativa humana est duplex, » *ecclesiastica* videlicet, quæ competit summo pontifici; aliisque prælatis ecclesiasticis, pro bono gubernio Ecclesiæ, et promovenda animarum salute in subditis suis; et *civilis*, quæ competit imperatori respectu totius Romani imperii; regibus pro suo regno, aliisque principibus sæcularibus respectu propriorum subditorum, in ordine ad rectam gubernationem reipublicæ.

50. *Hæc differunt ratione originis.* — Resp. II. Hæc duæ potestates multipliciter differunt inter se. Et primo quidem ratione originis: nam potestas legislativa ecclesiastica, quæ competit Romano pontifici, ac per hunc postmodum aliis inferioribus prælatis, veluti vocatis in partem sollicitudinis, communicatur, proxime ac immediate provenit a Deo; prout patet ex verbis Christi, *Matth.* xvi, 19, sancto Petro, ac in hujus persona ejus legitimis successoribus dicentis: *Tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis.* Et *Joann.*, cap. xxi, 17. *Pasce oves meas*, ac proxime legislativa civilis immediate provenit ab hominibus, eo videlicet, quod populus Romanus per legem Auream contulerit in regem, seu imperatorem, omne suum imperium et potestatem, l. I. ff. *de Constit. princip.* Quamvis et hæc saltem mediate sit a Deo, juxta

§ III. DE POTESTATE LEGISLATIVA, ET QUOMODO HÆC COMPETAT, ETC. 443

illud Apostoli, *Rom.* xiii, 1. *Non est enim potestas, nisi a Deo.*

51. *Ac ratione objecti, et finis.* — Secundo differunt ratione objecti et finis. Siquidem potestas legislativa ecclesiastica versatur circa res spirituales, ac pro fine suo per se, et directe intento, respicit cultum divinum, salutem animarum, et vitam æternam a subditis obtinendam. Civilis vero potestas versatur circa bona temporalia reipublicæ, et pro fine suo directe, ac per se intento, respicit bonum commune reipublicæ, hujusque tranquillam gubernationem: quamvis per accidens, et mediate, etiam salutem animarum respicere possit, in quantum videlicet vitia cohibet, et punit; licet hoc ipsum præstet dumtaxat ad manutenendum bonum statum reipublicæ, qui vitis impune grassantibus perturbaretur, ut amplius dictum fuit in Proæmio, n. 41 et 42, ac præsertim n. 183 et seqq.

52. *Propriisque officiis, et dignitatibus.* — Ex his ulterius sequitur alia differentia, dum hæc duæ potestates propriis officiis ac dignitatibus discretæ esse reperiuntur: quamvis ecclesiastica ob excellentiam objecti, et finis sui, tanto præstet civili, quanto quæ sunt spiritalia, præstant corporalibus, c. *Solite*. 6. §. *Quod autem de majoritat. et obed.*

53. *Papa potest ferre leges, sive constitutiones ecclesiasticas pro toto orbe christiano.* — Quæritur II. Quomodo papa possit ferre leges, sive constitutiones ecclesiasticas? Resp. Summus pontifex, seu papa, potestate sibi immediate a Deo concessa, potest in materia spiritali, et concernente animarum salutem, rectamque ecclesiæ gubernationem, facere constitutiones ecclesiasticas pro toto orbe christiano. Ita omnes catholici. Idque patet ex eo; quia summo, sive Romano pontifici, tanquam suo in terris vicario, commisit Christus Dominus in beato Petro apostolo omnium ovium suarum curam, dicens ei: *Pasce oves meas*, Joan. xxi, 17. « Non distinguens inter has oves, et alias: ut alienum a suo demonstraret ovili, qui Petrum, et successores ipsius, magistros non recognosceret, et pastores; » prout argumentatur Innocentius III scribens Constantinopolitano Imperatori: ac refertur in d. c. *Solite*, 6. *de Majoritat. et obed.* Item patet ex illo quod Christus dixit ad Petrum, et in Petro ad legitimos successores ipsius: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis*, etc. *Matth.* cap. xvi, 19. « Nil excipiens, qui dixit: *Quodcumque*, » prout ibidem notavit pontifex: ut

proinde nec censeatur excepta potestas legislativa, qua oves sibi commissas constitutionibus ecclesiasticis, ad spiritualem earum salutem provide factis, ligare valeat.

54. *Papa suam potestatem immediate habet a DEO.* — Ex allegatis textibus insuper patet, quod hujusmodi spiritalis potestas summo pontifici competat non ex hominibus (prout fuse contra hæreticos ostendit Bellarminus lib. II. *de Romano pontifice*. c. 17 ac seq.) sed immediate a Deo, utpote quam ipsemet Christus Dominus, verus Deus et Homo, immediate commisit sancto Petro, et in Petro suis legitimis successoribus Romanis pontificibus, d. c. *Solite*. Id ipsum, et adhuc clarior expressum habetur in Extravag. *Unam sanctam*, circa finem *de Majorit. et obed.* inter communes, ubi de Ecclesia, et potestate ecclesiastica, sic legitur: « Est autem hæc auctoritas (etsi data sit homini, et exerceatur per hominem) non humana, sed potius divina, ore divino Petro data, sibi que, suisque successoribus in ipso, quem confessus fuit petra firmata, dicente Domino ipsi Petro: *Quodcumque ligaveris*, » etc. Concordat textus notabilis in c. *Quando*. 3. *de Translat. episc.* ubi dicitur, quod « si quid Romanus pontifex (qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris) pro Ecclesiarum necessitate, vel utilitate constituit, non humana, seu divina prius auctoritate constituat. » Quod ipsum etiam profitetur Imperator, in Romano pontifice agnoscens « Cæleste arbitrium, » l. 1. *de summa Trinitate*.

55. *Eamque exercet absque alia confirmatione, et ante suam consecrationem. Secus accidit in inferioribus prælatis ecclesiæ; et cur?* — Unde non mirandum, quod celebrata semel canonica electione, præstitoque in eam suo consensu, Romanus pontifex absque alia confirmatione, imo etiam ante suam consecrationem, statim habeat auctoritatem regendi Ecclesiam universalem, et disponendi circa facultates ac beneficia ipsius, can. *In nomine Domini*, dist. 23. et Extravag. *Quia nonnulli de Sent. excommunicat.* inter communes. Quamvis hoc secus sit in aliis inferioribus prælatis, qui ante suam confirmationem non habent jus administrandi, c. *Nosti*, 9. et c. *Qualiter*, 17. *de Election.* et c. *Avaritia* 5. eod. in 6. Ratio disparitatis est clara: quia inferiores prælati recognoscant superiorem in terris, suamque potestatem non immediate accipiunt a Deo, sed mediante summo pontifice, a quo vocantur in